

65

^{LXVI}
EPITAPHIA

IN OBITVM
REVERENDI ET

CLARISSIMI VIRI, DN. M. LV-
CAE MAII, PASTORIS OLIM EC-
clesiæ Castellanae fidelissimi
& Orthodoxi,

Conscripto

ab

amicitia & consanguinitate
sunctis.



SEVESTAE

Typis Iohannis Schliers, Anno 98.

33 60



EPITAPHIVM

QVOD IPSE SIBI FACIE-

BAT M. LVCAS MALVS SENIOR DIE

ἡμετέριος cum Simeone placidam & pacatam dimissionem à Fi-
lio Dei expectans & petens, Anno salutis 1598. Aetatis 76.

obiitq; eodem anno, die 5, Martij.



Vm fragili assiduos vita finire labores
Me iuuat, vt pax sis vitaq; Christe, mihi.
In requiem diuerte tuam, mea mens, anima-
que.

Vistota, hæc Domini sint benefacta tui.
Faucibus ex mortis tutam præstat mihi vitam,
Abstergitque genis flebilibus lacrymas,
Ne titubem, stabili nunc firmat robore gressus,
Vt loca videntum lætus adire queam,
In lucro ponas igitur, quòd te per eandem,
Quate Præcelsit, ducit ad astra viam,
In terram terrena abeant cum corpore membra:
Tutus at in Domini Spiritus esto manu,
Qui virtute sua iunget iungenda potenti,
Quæ modò dissociat mors mihi facta quies.

MEMO



MEMORIÆ DN. M.
Lucæ Mañ.

HAec, Luca, monumenta tibi, Peucerus, amoris,
Albidos & Moldæ finitimas ad aquas,
Antiquum, pono, non infitiatus amicum,
Sed memori recolens pectore pectus amans.
Te mihi communis fidei confessio iunxit,
Christum hominem, Christum unaq; professæ De-
Qui nos ærumnaq; suæ, ærumnaq; piorum (umæ
Consortes, voluit sub cruce stare sua.
Ut nos participes secum quoq; reddat honoris,
In cæli æternum qui manet arce pios.
Illic morte tibi requies est parta laborum:
Me dolor hic, rerum dira q; cura coquit:
Dum mihi non desit ranarum audire furores,
Blasphemo eructant que vetus ore coax,
Nestorijq; chaos reuocant atq; Eurychis Orco,
Cum probro Iesu nominis alme tui.

Caspar Peucerus, D.

Ingenuo

INGENVO, FIDELI, ET
CONSTANTI CHRISTI IESV SERVO

LVCÆ MAIO, &c. ἢ τὴν ἰουδαίαν, ἢ τὴν ἰουδαίαν
gratulatur Wolfgangus Amlingus, Symmysta.

Ioh. 8. ἡ ἀλήθεια ἐλευθέρωσεν ὑμᾶς.

CARE Deo, LVCA, variis jactate procellis,
Tu quoque nos linquens cœlica regna petis?
Francia te genuit, formârunt arte Borusi,
Quæ patriæ peperit commodâ primatæ.
Ad graue pastoris munuste Vineâ Christi
Euocat Eishufam, V Vimarî, inde Ienam.
Mœnia te capiunt hinc nomine clara Rodolphi:
Saxonica attraxit deinde Salina senem.
Tandem accersitus (sed quanto à Principe?) Cattis
Inseruis, donec Christus abire iubet.
Verè mirificas caros tibi, CHRISTE, ministros,
Suscipis eiectos, cum premis, ecce leuas.
Qui nostro populum mandas tamen ore doceri,
Non dabis, vt laient corpora nostra lupi.
Sic, LVCA, tibi commendans mysteria regni
Adfuit ad summum SPIRITVS vsque diem.
Iamque triumphantis comitem te reddidit agni,
Hic vbi nos iunget ne scia VITA mori.
Vera fides vincit, pereunt non vera professi:
Assertrix veri causâ perire nequit.
Fortunate senex, Christi fidissime miles,
In Domino salue, viue, beate, vale.

EPITA-

REVERENDI ET DOCTISSIMI

viri M. Luca Maij, Pastoris Ecclesie Cassel-
lanae vigilantissimi. &c.

HUc tumulum, crudæ exemplum, viridilque
senectæ

Sincerae studio cum pietatis, habet
Lucas ille Senex, mensis cognomine dictus,
Pleione nomen cui fata Maia dedit.

Quæ templa incestat passim, quæ nomine dulci

Eirenes virus pingit, Erinny, tuum,
Hæresium hunc sentina quoque impulsore Sinone,
Muneris excussit de statione sui,

Hic ubi Saxonicas Sala imbuit amne Salinas

Spargentem verbi semina Christe tui,
Cattorum at Princeps, Landgrafius vrberceptum

Guilhelmus sancto præficit ipse gregi,

Quæ Castellarum piscosus mœnia Fulda

Alluit, & riguis prata pererrat aquis,

Cui fidei curamq; suæ, studiiq; laborem

Quatuor impendit Pastor Olympiadas,

Doctrinam decorans morum consorte bonorum,

Integer & vitæ labis, & ore probus.

Summorum brevis est ætas: at longior æui

Est vsura Dei nos vegetantis opus.

Vndena at tingerat propè jam septennia vitæ,

In cœlum Christo cum repente redit,

Gregorius Bersmanus.

▲

Dr.

Dn. Lucæ Maio S. M. &c!

Hebilior, Maji, nobisq; tuisq; fuisses,
Cum cadret corpus morte senile tuum,
Ingenio tibi par gnatus, par & pietate
Ni tua pensaret funera Nicoletus.
Vive, Senex, cælo: te se & viuacior oro,
In terris possit filius esse super.

M. Casparus Viricus.

EPITAPHIUM

EXIMII ECCLESIE CHRISTI IESU SERVI,
Theologi, ac viri præstantissimi, Dn, M, Lucæ Maji &c.

Hac Lucæ corpus Maji requiescit in vrna,
Ætherias iuit mens habitare plagas.
Hunc genuit Romhilda: Sed Hilperhusia paruo
Imbuit huic primis pectora literulis.
Hanc ergo præ illa patriam vocitare solebat:
Quòd plus, quàm nasci, ritè sit institui.
A teneris paruo assuetus, patiensq; laboris,
Quærere sustinuit dura alimenta manu.
Non illum puduit terram versare bidenti,
Non, operis quicquid rustica turba facit.
Non illi ignota humanæ commercia vitæ,
Rerum illi, gnauos qui docet, vsus erat,
Pleniùs erudit studiis Academia, Monte
Quæ de Regali nobile nomen habet.

Primi.

Primitias studij, patriæ quas vouerat olim,
Reddidit, & voti defuit esse reus,
Artibus informans vera ac pietate iuuentam,
Et patriam moderans non sine laude Scholam.
Primæui lapsum genitoris condere focco,
Magnum erat, & plausum promeruisse foro.
Post in vicino patriæ sacra tradere vico
Eishusa, laudis pars quoque & illa viri.
Hinc sed Tyrigerum tæcundas tractus in oras,
Oenagoræ, & lenæ cœlica verba docet.
Hic illi, egregiæ ob studium pietatis & artem,
Sponte Magisterij donat Apollo decus.
Crescit fama viri, varias & sparsa per vrbes,
In certo sedem non finit esse loco.
Ergo exoratus, lenâ discessit, in vrbem
Sacra Rudolphstadio verba docere Iouæ.
Hic illum ciues, Comes hinc Suarizburgicus illum
Diligere, & placido velle fouere sinu.
Non tulit hoc, quæ cuncta rotat, Fortuna: Salinas
Verum in Saxonicas auocat inde virum.
Hic Sacræ iussus clauum tractare carinæ,
Cum faceret partes sedulus officij:
Magnus VBIQVE oritur turbo, hinc atque inde procellæ
Tractantis feriunt excutiuntq; manum.
Naufragus Hasiacos confert sese exul in agros,
Fulda vbi Cassellas piscifer ambit aquis.
Cattorum hinc illum Princeps, fortissimus heros
Cum Lare V Vilhelmus suscipit hospitio.
Hic populo atque Duci sacrata cibaria vitæ,
Et promisit potum fonte perennis aquæ.
Assidua illius tum consuetudine Princeps
Vfus, iudicij & dexteritate viri est.
Nec non Mauricius Princeps, vestigia Patris
Ponè legens, Maium fouit amore suum.

Nam

Nam pietatis opes foecundo in pectore gestans,
Ad quosuis casus ore disertus erat.
Annales veterum exactè quoque nôrat ad vnguem,
Non Latiae aut Graeae linguae erat ille rudis.
Testantur, quae de Latio ac sermone Pelasgo
Edita, vernaculo reddidit ille sono.
Vidi ipse Amosidae vatis praedicta, labore
Illius heroo facta Latina pede.
Accessit cunctis gratus super omnia candor,
Et studium recti, & simplicitatis amor,
Nescia & incertis frange constantia rebus;
Sed sperare malis, atque timere bonis.
Quindenis vnum vivendo adiunxerat annum
Lustris, ad superos quando profectus abie,
Tu, Lector, tumulum hunc, nostris madefactum ab ocellis,
Fac riget ex oculis gutta vel vna tuis.
Grandæuo inde seni operam gratare quietem,
Et dic: Sit tanto mollis arena viro.

M. Iohannes Theopoldus piè de-
nati è Sorore nepos,

F I N I S.

A 2490

ULB Halle

3


003 485 986




sb

kom








65

LXVI.
EPITAPHIA

IN OBITVM
REVERENDI ET
CLARISSIMI VIRI, DN. M. LV.
CAE MAII, PASTORIS OLIM EC-
clesiæ Castellanae fidelissimi
& Orthodoxi.

Conscripto
ab
amicitia & consanguinitate
siunctis.



SERVESTAE

Typis Iohannis Schliers, Anno 98.

3306

